Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift



exordio mundi uobis repromissus. At ille.
quid inquit peccaui? in quo te dominum creatorem
meum exacerbaui? Quoniam tradis me ser
uum tuum. per iniunctum mihi predicationis offi
cium. in manu populi iudaici. qui mundi
et carnis est intentus amori. ut me interficiat.
cum tua eloquia despiciat. Viuit dominus deus
tuus. qui per tue humanitatis mysterium. mun
do erit conspicuus. Non est gens aut regnum.
littera uel allegoria ueteris testamenti. quo non mi
serit dominus meus te requirens. in toto ueteri testa
mento. per litteram et allegoriam. tue incarnati
onis sacramenta reuoluens. Cunctis respon
dentibus non est hic. adiurauit regna singula.
et gentes. eo quod minime repereris. Cunc
te gentes et regna. non est hic respondent.
dum litterae et allegoriae ueteris testamenti. christum
uerum dominum et uerum hominem ostendunt. Est.
enim uerbum substantiuum. eternitatem et in
commutabilitatem diuinitatis eius denunti
at. non ad uerbum negatiuum. humanitatis
eius indumentum declarat. per quod eum infi
deles et impii dei filium esse negant. Achab
regna singula et gentes adiurat. cum populus
iudaicus. litteram uel allegoriam ueteris testa
menti. discutiendo et reuoluendo laborat.
Eo quod minime in eis christum reperiat. quamdiu
in sue perfidie cecitate caligat. Et nunc
inquit dicis mihi. quia tu fili dei. per spiritum sanctum
precipis mihi. tuo fideli et consecratali. Vade
in spiritu sancti magisterio. et dic in commisse tibi
predicationis ministerio. domino tuo. populo iudai
co. ad est helyas. uenit mundi redemptio.
Cumque recessero a te. dicente te in cruce.
consummatum est. quia per tue passionis mys
terium. omne mee predicationis consummabitur
ministerium. Spiritus domini asportabit te in
locum quem ego ignoro. uel in paradysum.
quo latronem tuum introduces. uel in
plenitudinem gentium. quam tuo sanguine
hereditatem tuam facies. Ego ingressus sanctuari
um tuum. nuntiabo achab populo iudaico mys
terium tuum. Proinde non inueniens te. fugientem
a se. interficiet me. cum in suscepta humanitate
despiciet te. Seruus autem tuus timet dominum
ab infantia sua. Prophetia enim quasi in infantia
sua loqui non potuit. cum in sola gente iudai
ca posita. sub eius carnali intelligentia celestia
mysteria quasi contegenda conticuit. Numquid
non indicatum est tibi domino meo. quid fecerim. quanta
tibi fidei deuotione. quanta sapientie dispen
satione seruierim. Cum ieiabel prophetas domini inter
ficeret. cum synagoga litteras legis sua carnalita
te configeret. Id de prophetis domini uiros centum. quin
quagenos et quinquagenos in speluncis abscon
derim. scilicet quod litteras et allegorias
ueteris testamenti. sermonum meorum
inuolueris. ab infidelibus et sacrilegis celauerim.
Numquid non indicatum est tibi. quod eos pane et aqua paue
rim. scilicet quod sermones prophetie mee mysteriis diui
nitatis et humanitatis tue impleuerim. Et nunc
tu dicis. qui in spiritu sancto uocationem gentium. et re
pulsionem iudeorum tua passione mihi predicis. Vade
et dic domino tuo. ad est helyas. ut interficiat me.
Bis abdias hec uerba repetit. quia prophetia per omnia
que loquitur. repulsionem iudeorum. et uocationem
gentium innuit. Et dixit helyas. Viuit dominus ex
ercituum. ante cuius uultum sto. quia hodie appare
bo ei. Dicit helyas abdie. dicit dei filius prophetie.
Viuit dominus exercituum. deus pater creator angelorum.
cuius uoluntati per humanitatis mee dispensa
tionem deseruio. quia hodie ei apparebo. quia imple
nitudine temporis. populo iudaico. me in forma
humanitatis exhibebo. SEQVITVR.

Abiit ergo abdias in occursum achab. et nun
tiauit ei. Venitque achab in occursum he
lye. et cum uidisset eum ait. Tu ne es ille qui con
turbas israel. Et ille ait. Non ego conturbaui
israel. sed tu et domus patris tui. qui dereliquistis
mandata domini. et secuti estis baalim. Verumtamen